



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Io. Baptistæ Portæ Neapolitani Magiæ Naturalis Libri
Viginti**

Della Porta, Giambattista

Frankfurt, 1607

Lumine pisces noctu allici. Cap. V.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70772](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70772)

Lumine pisces noctu allici. CAP. V.

INTER varias animalium decipiēdi artes, lumen est: In noctu enim quum pisces aliqui quiescunt, lumen supra cymbas piscatores ferentes, pisces ad se allectos, aut tridente feriunt, aut capiunt viuos, quod non fuit ignotum Oppiano:

*Quum Phoebus caelo meta distabit utraque
Vel caput occiduis pronus quum mergit in undis,
Tum domit art. p. sces, vel primo tempore noctis
Accensa impellunt theda per marmora cymbam:
Occulto perimunt fato sub nocte quietos
Pisces, qui flamma lati, vel lumine claro.
Dum circa cymbam collecta examina lumen
Exitiale vident, pereunt mucrone tridentis.*

Diu multorum torfit angor animos, quomodo ignis, vel lumen sub aqua ferri possit, ut pisces eo longinque conspecto, illi occurrerent. Nos id hoc modo praestitimus. Pilam aream, vel plumbeam confecimus, trium, vel quatuor pedum diametri, infra acuta erat, vel pyramidalis, ut aptius in imo demergi posset, ferreis circulis obuallatam, ut pondere depressa sub aquis trahi posset. Supra canalem apposuimus longitudine quindecim, aut viginti pedum, latitudine vnius. Pilae venter multis fenestris aperiatur, quinque, aut senis, quibus vitrea specula perpolita accommodentur, & commissurae picato glutine farciantur, ne aquae pateat aditus. Quæsito loco pondere depressa pila demergatur, sed canalos os supra aquam saltem binis pedibus supereminet. Lucernam mox accensam, per canalem funiculo in pilae ventrem demittamus, eo modo & arte elaboratam, ut quocumque motu moueatur, semper ad perpendiculum erectum lumen restet. Lumen per fenestras, & specula intra aquas transibit, & reuerberatione facta sub aquis magnum lumen satis longe conspicabitur, ad cuius splendorem maxima piscium caterua occurrit; tum retibus circumuenire poteris.